DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

CYNANCHE TRACHEALI.

AUCTORE JACOBO HAIRBY.

EXORDIUM.

Etiamsi Cynanche Trachealis non nisi a nuperis quibusdam auctoribus descripta fuerit, non aliud invenies malum, nominibus amplius ornatum ; dicitur enim a medicis, Morbus Infantum, Morbus Strangulatorius, Cynanche Stridula, Cynanche Laryngea, Suffocatio Stridula, Asthma Infantum Spasmodica, et similia.



Infantum cynanche trachealis plerumque morbus est; tenerae quidem aetati fere omnino proprius. Raro antequam lacte depulsi fuerint adoritur; eo autem tempore exacto, quo juniores sunt, eo obnoxiores, eoque majore discrimine versantur.

Pube adventante malum rarius evenit, sic ut pauci post duodecimum annum afficiantur, etsi nonnullos adultae aetatis cito correptos intra paucas inde horas periisse accepimus. Haec tamen raro incidunt, quamvis dux illustrissimus ille vereque patriae pater, WASHINGTON, lugubri fuerit exemplo, qui, remediis potentissimis frustra exhibitis, intra viginti quatuorque horarum spatium absumptus est, anno aetatis suae sexagesimo octavo. Neque unus cynanches impetus a futuris sospitem praestat; sed impetus post primum leniores sunt, nisi paulo post ille cessaverit, aegrum invadant, quando cito jugulari solent.

Plerosque inter auctores convenit, hunc morbum crebrius et periculosius prope mare, locaque humilia, paludosa videri, quam in mediter-

raneis; ideoque recens quidam, quae de morbo apud Letham observaverat proferens, semper cynanchen lethalem factam esse non longius a littore quam lapidem illuc facile conjiceres affirmavit.

Nullus dubito quin locis mediterraneis epidemicum saepe agat, praesertim vere hiemeque; licet per omne tempus subinde aggreditur, uti cum frigus calori et humori supervenerit, et Eurus dominatur, quod saepius fit.

Cynanche trachealis, quamvis manifeste inflammationem habeat, ut morbus spasmodicus utique occurrit aliquando, quod doctissimus Franciscus Home, qui primus accurate describit, se quondam vidisse tradidit.

Auctorum alii cynanchen duas in species diviserunt, Inflammatoriam nempe ac Purulentam: alii, ut M. Valentin, in tres, Inflammatoriam, Spasmodicam, Catarrhalem†. Attamen divisio illa nobis videtur optima, quae in spasmodicam et inflammatoriam diducit; nec qui-

* Valentin sur le Croup.

dem ultra speciem inflammatoriam vagari in paginis sequentibus proposui.

DEFINITIONEM

QUAM clarissimus CULLENUS tradidit, ut usui accommodatissimam, huc transtulimus:

"Cynanche (trachealis) respiratione difficili, "inspiratione strepente, voce raucâ, tussi clan-"gosa, tumore fere nullo in faucibus apparente, "deglutitione parum difficili, et febre syno-"cha *."

HISTORIA.

CYNANCHE TRACHEALIS haudquaquam eodem semper modo accedit. Impetus aliquando subitus inexpectatus. Signa in definitione dic-

* Synopsis Nosologiae, p. 9.

ta nonnunquam ab ipso morbi principio grassantur; plerumque tamen, languor, lassitudo, solitorum ludorum taedium antecedunt. "Puer," ut CHEYNE * accurate notavit, "socios evitat, segregatusque ab iis sedet, hebes, "moestus, quasi periculum futurum meditatus." Tussis levicula, vel sternutamenta catarrho vulgari subsimilia, horrores comitante calore, sitis, aliaque febris signa crebro occurrunt.

Morbus in parte se manifestat per spiritum difficilem, cum sono rauco, clangoso, stridulo, inter loquendum et tussiendum edito: quem nonnulli ad sonum tubae aheneae, bellicosae, alii ad galli cantum retulerunt. Tussi quoque sonus proprius est, latratui catelli Melitaei variisque similibus sonis ab auctoribus comparatus, quem tamen ego describere non conabor; semel tamen auditum oblivisci non poteris.

Quum autem tussis morbo praecessit, eam quae catarrhum comitatur, valde simulat; alias sonum stridulum prae se fert a morbi principio.

* Cheyne's Essay on Cynanche Trachealis, p. 16.

Cum his signis sensus est doloris stricturaeque circa laryngem, de qua aegri plerumque queruntur, qui conditionem suam describere possunt: spiritus quoque difficultas, cum sono strepente per inspirationem, quasi aëris via, hac in parte qua transeundum est, arctaretur; hic sonus plus minusve facilis auditu, pro violentia accessionis. Fauces inspicienti, vix ullae inflammationis vel tumoris notae se ostendunt, crebro tamen rubor vel etiam tumor videantur. Devoratio primo parum vel nihil laeditur; sed cibi appetitus multum minuitur. Hoc tamen signum minime perpetuum est; quum "pueri," ait Home, "cibum aliquando "capient, momento postea morituri."

Morbo progrediente, tussis sonora, stridula, spiritus magis magisque laboriosus fit; angustiae gutturis augescunt, saepe quidem fere ad suffocationem; caputque aegrotantis retrorsum agitur, ut angorem suffocantem evitet: se ad positum erectum excitat, non amplius supinus jacere patiens ex ejusdem timore, sed positu mutato nullum auxilium invenit. Spiritus ad-

huc citatior, strepentior ; tussis accessiones crebriores, vehementiores ; atque fere hunc ad modum morbus augescere pergit, donec vel remissio, fere tempus matutinum versus, superveniat, vel signis jam descriptis, praesertim spirandi difficultate, fauciumque strangulatione, subito et exinsperato extinguitur.

Tussis protinus sub initio brevis et sicca est, atque hoc tempore os plerumque saliva impletur, quae tamen solito viscosior apparet, atque malo procedente, tussis ingravescit, et mucus, vel portiones materiae tenuis, viscidae, membranosae, haud raro expuuntur ; quod, siquando accidit, magno lenimini esse solet.

Pulsus, incipiente morbo, plenus, citissimus, paulatim fit debilior et mollior ; calor cutis ingens, cum rubore vultus et tumore ; conatus ad vomitum frequentes, sitis, insolita anxietas, jactatioque superveniunt. Lingua primo albida, nunc colorem fuscum vel atrum induit, alvus tarda, urina parca, colore atriore. Breves, brevissimae quidem remissiones, quas in cynanche inflammatoria occurrere diximus, quamvis mi-

nime infrequentes, raro distincte notantur. Subita et perfecta quasi remissio videtur praecipue notare speciem spasmodicam ; atque hoc quidem commodissimum signum est quo ad dignoscendum uti possumus. Etiamsi respirandi difficultas, sensusque strangulationis nonnunquam levem remissionem patiantur, tamen febris, anxietas, tussis sicca brevicula, immutatae fere perstant ; brevi quidem tempore omnia signa recurrunt, et, ut videtur, aucta vehementia. Respirandi difficultas nunc fit enormis, pulsus adeo celer ut vix numerari potest, maximeque debilis et abnormis, vultus tumidus lividus, labia purpureo colore, sitis ingens, calor cutis intensus est, atque misellus aut sensim cruciatibus succumbit, aut subito convulsionibus, ut videtur, tollitur.

Spatium cynanche tracheali occupatum magnopere variat ; modo tempus mediocre durat, formam quasi longam induens ; modo celerrima, intra paucas horas terminatur ; multum vero a gradu inflammationis, spasmi vehementia, pueri robore et constitutione pendet ; sed cum

lethalis evadit, id fere die primo vel secundo accidit.



CAUSAE PRAEDISPONENTES.

Quoniam cynanche trachealis pueros unius ad duodecim annorum fere adoriatur, pueritia una ex causis praeparantibus praecipuis habeatur. Infantes floridi, robusto plenoque corpore praediti, supra aetatem alacres, vivaces, huic magis obnoxii sunt. Semel affecti, ad morbi reditum mire proclives videntur. Catarrhi longi e variola, rubeola, pertussi, causae hujus morbi efficacissimae praedisponentes fiunt. Aëris conditio peculiaris nondum explorata a plerisque auctoribus ad cynanchem trachealem miro modo disponere credita est; quamvis excitans potius quam praedisponens aestimari debet. Dr Cheyne tracheae ipsius imbecillitatem, quomodocunque inductam, causam hujusmodi

considerat; ideoque morbum raro post pubertatem adoriri contendit, quo tempore mutatio insignis in trachea conspicitur, ut notissima illa, vocis mutatio, praeclare indicat *.

CAUSAE EXCITANTES.

Dubium esse non potest, quin causae hujus excitantes eaedem sunt ac quae aliarum partium inflammationes inducunt; scilicet, frigus, humor, caloris frigorisque vicissitudines, frigus cum humiditate, aliaque similia.

Exempla non desunt, ubi cynanche trachealis cynanchem tonsillarem vel malignam subsecuta est; talia autem nequaquam frequentia occurrunt. Haud paucis equidem sine ullis hisce causis supervenit; neque quaestiones medicorum, utcunque diligentes, causam manifestam ad quam referatur, invenire valuerunt.

* Cheyne's Essay on Cynanche Trachealis, p. 23.

Morbus nonnunquam epidemicus apparet, sed catarrho similis multum ab aëris statu pendere videtur, nec minus ab aegri dispositione priore ; licet plures vel omnes familiae ejusdem filios alium post alium adoriri possit, tamen minime contagiosa est, neque a patre in prolem haereditatis more descendit.

CAUSA PROXIMA.

Tunicae internae tracheae inflammatio hujus mali incipientis origo videtur ; atque membrana aliena supra dicta, ab inflammatione effecta, causa partis ejus secundae fit ; de hac tamen de cadaveris sectione agentes, fusius dicemus.

DIAGNOSIS.

Cynanche trachealis, ut videretur, satis facile ab omnibus aliis hactenus descriptis morbis distinguitur: pauci quidem morbi existunt quibuscum confundi potest.

Sibilans iste strepitus inspiratione effectus, facultas devorandi incolumis servata, inflammationis in faucibus absentia frequens, tumoris perpetua, a cynanche tonsillari vel maligna satis superque distinguere valebunt. Sola quibuscum confundi potest mala catarrhus, sunt pertussis, asthma acutum Doctoris Willan.

Cynanche trachealis apud initium catarrhi vulgaris speciem induit, atque difficillimum fit verum tum ejus ingenium cernere. Medico tamen raro hoc morbi tempore ipsum videre contigit, quum indicia adeo levia sunt, ut nec parentes nec nutrices metu afficere solent; sed morbo jam provecto, malisque omnibus auctis,

tunc vox peculiaris illa stridula, respiratio citata, oppressa, facies livens, tumida, medenti satis superque satisfacient de morbi natura.

Variae res sunt quae pertussim a cynanche tracheali distinguunt; ex his praecipuae sequuntur: Pertussem raro pyrexia comitatur; accessiones intermissionesque clarius ac facilius notantur. Aegrum non nisi semel per ipsam vitam vexat, et prae omnibus manifeste contagio propagatur; dum cynanche trachealis, utcunque pauculi medicorum opinati sint, contagiosa minime videtur; prior etiam accessus insequenti hominem procliviorem reddit. Pertussis accessio per vomitum sponte subeuntem reprimitur, cynanche vero tracheali hic superveniens parum vel nihil opitulatur, nisi portio, quod rarissime fit, membranae tracheam obtegentis simul expuatur.

Cynanche trachealis, quantumcunque similitudine ad asthma acutum doctissimi WILLAN accedat, omnibus signis probe deliberatis, plerumque ab eo discriminari poterit. Priore itaque tussis aures nostras perpetuo lacessit, pos-

teriore rara quidem vel nulla existit. Asthmate acuto remissio indicium est notatissimum; cynanche nostra vix ullam experitur, certe perquam indistinctam: atque asthmate exinanitio aliqua fere accidit, veluti ructus, vomitus, dejectiones. Sub hujus initio pulsus parum afficitur, licet progrediente, velocior pleniorque reddatur; urina liquet; vox profunda crocitans. In cynanche vero tracheali, pulsus plerumque plenus, celer, validus, cum febris calore, urina ruberrima, voce stridula, parva.

PROGNOSIS.

Prognosis, ut plurimum, infausta; sin minus, magna certe cautione proferenda sententia est. Si protinus sub morbi initio medicus accessit, puer natura robustus et sanus, si sputum liberum, copiosum, si tussis et dyspnoea minus urgent, vox parum mutata sit; si malum denique

remediis cedere videtur; tum fauste praesagire licebit.

Ex diverso, cum puer debilis, et exinanitiones necessarias non perferre idoneus est; cum spiritus difficultas vehemens, anxietas magna; cum febris celeriter augetur, pulsu interea parvo, debili; cum sputum parcum vel nullum, tussis accessiones crebrae violentae suffocationem intentantes; cum membra inferiora tumescunt aqua, vel convulsiones adsunt; tum prognosis fere pessima existimari debebit.

CADAVERUM INCISIO.

Corporibus cynanche extinctis extrinsecus inspectis, faciem tumidam, lividam, cervicis venas plenas turgentes, extrema humore plerumque tumefacta videmus; omnia demum signa circuitus per pulmonem sanguinis impediti; ideoque iis qui aqua submersi vel strangulati perierunt simillima.

In trachea et larynge reclusa, notae inflammationis vehementis manifestissimae videntur; nunquam autem, quantum ipse reperire potui, vel gangraena vel ulcere hae partes affectae fuerint. Membrana fere praeter naturam produci a glottide secundum tracheam plus minus longa, nonnunquam a larynge ad introitum tracheae in thoracem invenitur: etiam per ramos bronchiorum in quibusdam descendit. Variat tam crassitudine quam densitate. Dr Cheyne de eadem agens haec verba fecit: "I have "seen this exudation gurgling up the epiglottis, puriform and quite fluid; then at the "larynx possess more tenacity; and, lastly, "lining the lower parts of the trachea, firm, "and completely membranous *."

Tracheae parieti interno laxe plerumque cohaeret, aliquando tamen firmius adfigitur. Doct. Home exemplum dedit, ubi integra fuit, atque tubum cavum repraesentans extracta est: idemque optimus alias eodem libello scripsit,

* Cheyne's Essay on Cynanche Trachealis, p. 20.

"membranam subinde posteriore trachea, ubi "cartilagines nullae sunt reperiri; hanc etiam "sedem morbi praecipuam videri *." Illa quidem membrana, quibusdam adeo densa apud superiorem ejus partem visa est, ut facile ibi loci convellere ac lacerare potuerunt; dum finis ejus inferior gradatim mollesceret, in materiam puris recens effusi, vel muco commixti simillimam. Haec species, fere flavida, in bronchiorum ramos minutissimos nonnunquam propagatur.

Pulmonum superficies aliquando subrubra; plerumque tamen speciem naturalem prae se ferunt, raro notas inflammationis, quamvis tactui solito duriores; quod plerumque explicari potest, a distentione quam vasa sanguifera necessario a respiratione oppressa patiuntur. Glandes universae sub linguae radice atque amygdalae aliquando turgescere videntur, partesque muco obductae.

Glottis, epiglottis, membrana tracheae in-

* Home on Croup, p. 35.

terna, prout morbus plus minus vehemens fuerit, inflammatae inveniuntur; atque materia muco-purulenta inter membranam istam et adventitiam conspicitur. Tunica ventriculi interna, ait clarissimus HOME, subinde molissima, multo muco contecta.

CURATIO.

QUONIAM morbi progressus adeo sit velox, terminatio adeo minax, manifestum est ut remedia strenuissima adhiberi debent; quoque citius usurpatae, eo certior erit spes salutis reducendae. Hoc equidem adeo verum est, ut Doct. HOME memoriae tradidit, morbum periculosissimum esse si medicus non ante tertium quartumve diem accersitus fuerit; etiam omnino desperatus si stadium purulentum jam inceperit. FERRIAR etiam adjecit morbum plerumque lethalem fore, ni signa terrentia intra sex horas lenita fuerint; seque advocatum prima

adhuc die saepenumero aegris fuisse, qui nocte tantum antecedente serio aegrotare incepissent, nihilominus se non nisi semel ex omnibus rem feliciter gessisse *. Alii tamen medentes, morbo quoque magis provecto, feliciter extiterunt. Signis quae cadavere inciso in conspectum veniunt, aliisque morbum comitantibus rite perpensis, dubium non erit, hoc malum revera inflammatione consistere, quapropter curatio nostra hanc ad conditionem dirigenda erit.

Modus quem plerique auctores sequuntur hic est. Sanguinem brachio mittunt, tantum quantum mali vehementia, aetas pueri, corporisque habitus postulare videntur. Cum tussis adest, magna respirandi difficultas perquam molesta, aeger robustus plenus est, sanguinis missio continuetur, donec animo fere deficiat puer.

Sanguinem quoque vena jugulari, utpote quae sedi malorum propior esset, mitti auctores sunt. Id saepenumero profuisse, ut credam fa-

---

* Ferriar's Med. Hist. and Reflections, vol. iii. p. 139.

cile adducor; periculum nihilominus a venis ob tussim turgentibus oriri possit: quod tussis spiritusque labor induxerunt, adeoque injussum sanguinis profluvium, postquam copia quanta satis apparuisset jam pridem detracta est.

Siquando indicia a sanguinis missione generali non mitigata sint, aut brevi redierint, tum detractio ejus specialis adhibenda erit: quem ad finem hirudines gutturi admoventur, et vulnera iis facta per lintea calida cruorem horis aliquot manare coguntur. Plurimi hoc sanguinis missioni generali omnino supersedere debere putant: ego utique hanc nunquam non speciali hoc in morbo praemitti debere opinor.

Sanguine qui sufficiat detracto, vomitorium cito exhibendum ut vomere liberaliter efficiat, quod plerumque utilissimum invenietur; quandoquidem dum operetur multum muci tenacissimi, etiam membranae adventitiae rejicitur: atque hoc semper commodissime aegro lenimini est, nec raro morbum prorsus amovet, nullis aliis remediis exhibitis. Quod si tussis et respiratio impedita primo haud leventur vomitu,

iteretur; aliquando expediet cum sanguinis simul missione: sunt etiam qui bis terve in die vomere praecipiunt, cum mucum vel lympham in trachea colligi suspicantur.

Emplastra epispastica, vasis jam probe depletis, commodissima reperientur: ante tamen sic non prosunt, ut, Home dicente, si morbus inflammatorius admodum sit, (quod manifeste patet,) multum nocent vehementer vascula stimulando.

Parti dolenti quam proxime admovenda sunt; atque cum tempus aliquod requiritur effectibus eorum producendis, etiam quam maturrime.

Quum vesicatorium parti apponitur, cui hirudines antea admotae erant, morsus earum lino vel emplastro leviculo tegendi sunt; nam hoc modo cavetur ne stranguria accidet a cantharide absorpta. Aliquando thoraci superimponitur vesicatorium, atque tum fauces quoque camphorae vel ammoniae linimento perungi debent.

Ut sputum adjuvetur, humoresque cutem versus dirigantur, medicamenta ex antimonio

propinantur. Tartras fere optimus habetur, atque cum eo portiuncula calomelanos conjungatur, non quo calomelas hoc in morbo specificum aliquis credat, sed quo ab his junctis in aliis puerorum febribus optimi videantur effectus. Antimonium quidem sic copulatum multo diutius ventriculo retinetur, quam simplex fuisset: ideoque vires ejus catharticae, sudatrices, nauseosae, haud mediocriter augentur.

Efficaciam antimonii adhuc augere ad balneum calidum confugerunt. Remedium quidem illud cynanche tracheali semper praecipitur: atque hinc usum quidem adeo universum obtinuit, ut fere antequam medicus arcessitus fuerit adhibitum est: sin minus, tempus ille minime terendum, nam dum aeger in solio stat, sanguis vel commodissime mittitur, aut emeticum exhibetur.

Victus per totum hunc morbum refrigeratorius esse debet: atque si alvus tardior, medicamentis alacrioribus compositis moveatur, inter quae calomelas locum principem tenere debet. De hujus quidem remedii efficacia diversissi-

mae extant sententiae. Calomelas, procul dubio, consilio ut alvum purget exhibitum, aut tartrate antimonii adjectum, commodissime operatur: quod vero *specificum* in cynanche tracheali, perinde ac cinchona in febre intermittente, agat, veluti a Doctore Rush Philadelphiensi dictum, nimium utique periclitari videtur *.

Doctissimus J. Hamilton, rei obstetricae professor, de utilitate ejus probe persuasus, eo saepe cum balneo calido solo auxiliante utitur: insigni hercule felicitate, cum "in omni exem- "plo," confirmat, "quo exhibitum fuit ante- "quam labiorum livor, aliaque lethalia signa "supervenissent, (jam quadraginta et plures,) "et morbum omnino fugavit, et concussio- "nem corporis puerilis aliquam prohibuit †."

Post balneum calidum administratum ab uno ad quinque calomelanos grana pro infantis aetate adhiberi jubet, hora quaque repetenda, do-

* Rush Med. Inq. and Observ. vol. i, p. 145.

† Hamilton on Diseases of Children, p. 149.

nec respiratio manifeste liberior facta sit; quo facto, paulatim subducendum est, una primum, tum duabus, tum tribus, quatuor denique horis interpositis, pro ratione signorum vehementiae. Haec curatio, dicit ille, vomitum et dejectiones materiae viridis atrisque (spinaciae coctae subsimilis) superinducit, quae raro non aegrotanti opitulatur.

Praecipua hujus morbi remedia jam recensui; alia tamen manent auxilia attentionem medici jure sibi vindicantia.

Si emeticum non deorsum operetur, purgantia nunquam negligenda sunt. Ex his submurias hydrargyri mitis seligendus est, quippe qui facillime pueris ministrari possit; vel tabellae placentulae magnesiam albam habentes saccharoque dulcidulae, quas Home usui commendavit, exhibeantur.

Idem vaporem ex aceto cum aqua calida inhalari jussit; atque cum aliae cynanches species hoc modo leventur, huic istique, praesertim in morbo provecto, adhiberem.

Antispasmodica, veluti opium, moschus, po-

lygala seneka, maxime assafoetida laudata sunt ut auxilia, et certe utilia esse possunt. Nunquam certe his solis fidendum erit.

Quum haec remedia praecipue ad inflammationem arcendam vel opprimendam valent, manifestum est ut primis morbi temporibus his utendum est; quoniam postquam malum aliquamdiu duraverit, atque membrana semel formata fuerit, magna materiae purulentae copia in trachea bronchiisque colligitur, exinanitiones non amplius erunt utiles, imo noxiae potius, quando pulsus frequens, aliaque debilitatis signa tum plerumque occurrunt. Nunc plane videtur medicinam nihil profuturam esse; nihilominus, quum vel placendi gratia aliquid tentandum est, emeticum exhiberem, quia vires corporis ab eo incitari poterint, atque sic membrana morbida ejiciatur; vel tussim per effluvia aut vaporem calidum inspiratum excitare conarer, ne spes misello prorsus deficiat.

Arteriae asperae sectionem quasi ultimum praesidium commendarunt, et Dr Home, qui tamen rem ipsam nunquam ut videtur exper-

tus est, calculum suum adjecit. Nihilominus in quibusdam exemplis tentata est, sed semper, ni fallor, infeliciter: equidem signa quae parte incisa videntur, nequaquam facilem curationem promittunt; membrana enim raro tam firmiter cohaeret, ut forcipe protrahi posset. Quinetiam, si ea constaret fluidam ejus portionem, tracheam inferiorem bronchiosque semper implentem removeri nequiret, quae inter praecipuas respirandi remoras est, et ipsa mortem afferre sufficeret.

FINIS.